

30. Puer barbarus (cap. I-XXV)

Prīmā lūce Mārcus cum Dāvō Tūsculum ambulat. Dāvus nōn modo rēs Mārcī fert, sed etiam epistolam quam Iūlius ad magistrum scrīpsit.

Dāvus: “Ecce epistolam dominī ferō, quam tū ipse magistrō tuō trādēs.”

Mārcus: “Etiamne mercēdem fers, quam magistrō dēbēmus?”

Dāvus: “Pecūniam nōn ferō. Pater tuus mercēdem solvere nōn vult.”

Mārcus: “Ergō magister irātus erit mihi.”

Dāvus: “Nōn tibi, sed patrī tuō irātus erit. Dominus enim plānē scrībit ‘magistrum nihil tē docēre posse neque igitur mercēdem meruisse!’”

Mārcus: “Ita est ut scrībit pater: nihil discō ab illō magistrō!”

10 Mārcus et Dāvus incipiunt montem ascendere in quō situm est Tūsculum.

Mārcus: “Mīror quod oppidum nōn in valle, sed in monte situm est.”

Dāvus: “Oppida in montibus aedificantur, quia facilius est montem dēfendere. Difficile enim est hostibus montem ascendere.”

Mārcus frontem tergēns “Nōn solum hostibus” inquit “difficile est. Ego semper fessus sum cum tandem ad lūdum advēnī. Ob eam causam necesse est in lūdō dormīre!”

Dāvus: “Id tē nōn excūsāt. Posthāc necesse erit tē in lūdō vigilāre ac magistrō pārēre. Laetāre quod tibi licet in lūdum īre – mihi puerō nōn licēbat.”

Mārcus: “Sed tū servus es, Dāve.”

Dāvus: “In patriā meā servus nōn eram. Patria mea est Britannia.”

20 Mārcus: “Ergō puer barbarus erās.”

Dāvus: “Laetāre quod tū puer barbarus nōn es! Puerīs barbarīs nōn licet litterās et numerōs discere.”

Mārcus: “At puerīs barbarīs licet diēs tōtōs cum aliīs puerīs lūdere, per campōs et silvās errāre, in flūminibus natāre, equōs regere, ferās occīdere, nec iīs necesse est ante lūcem surgere.”

Dāvus: “Puerī barbarī nōn tam beātē vīvunt quam tū putās. Multa mihi puerō erant officia, nec enim servum nec ancillam habēbat pater meus.”

Mārcus: “Quārē ex patriā tuā profectus es?”

Dāvus: “Parentēs meī ā mīlitibus Rōmānīs necātī sunt, quia Rōmānīs auxilium ferre nōlēbant.”

Mārcus: “Cūr Rōmānīs auxilium negābant?”

30 Davus: “Quia Rōmānī hostēs erant Britannōrum. Ego cum parentibus meis habitābam in parvā domō apud magnam silvam in quā exercitus Britannōrum sē occultābat. Subitō militēs Rōmānī domum nostram intrāvērunt ac patrem meum interrogāre coepērunt. Ille vērō cīvēs suōs, quī patriam suam ab hostibus Rōmānīs dēfendēbant, fallere nōlēbat neque ūllum verbum fēcīt dē exercitū Britannōrum quī in silvīs occultābātur. Meīs oculīs vīdī patrem et mātrem ā saevīs mīlitibus occīdī. Ipse puer quīndecim annōrum cum cēterīs Britannīs captīs Rōmam missus sum et servus factus. Pater Iūlii mē sescentīs sēstertiīs ēmit.”